

1989

/ Admodum Reverende Pater. Accepi litteras vestras scriptas
8 Februarii hujus praesentis anni. Gavisus sum valde, quod inspi-
raverit Deus Paternitati Vestrae, et reliquis Patribus Caelesti-
5 tris Generalis, et juxta eam compositionem concordiae, et pacis;
et dedi ipsimet Summo Pontifici litteras vestras; et ipse quoque
laetatus est, quod speret per hanc viam redditurum Dominum toti
Congregationi Coelestinorum antiquam venerationem, et bonam opinio-
nem, quae videbatur ex hoc dissidio non parum immutata. Tardavit
10 Pater Generalis venire ad vos, quia litterae Regiae ad Archiepis-
copum Ludgunensem, qui hic Romae Legatum regium agit, continebant,
placere Regi, ut Generalis Coelestinorum veniret in Galliam ad pa-
cem componendam, dummodo abstineret a visitatione Monasteriorum
Galliae. Generalis autem non existimavit, se posse pacem compone-
15 re, nisi antea visitaret Monasteria, et cognosceret rationes dis-
cordiarum. Et ea de causa scripsi ego, verbo prius facto cum Summo
Pontifici, ut tres judices delegati Cardinales de Perron, et de la
Rochefocaud, et Episcopus Parisiensis, nunc etiam Cardinalis, cau-
sam istam cognoscerent. Nunc vero cum facultas adsit visitandi,
20 veniet Generalis primo quoque tempore, cum celebratum fuerit Ca-
pitulum generale, quod statim post Pascha celebrabitur. Et quia,
ut audivimus, cautum fuerat, ut delegati Commissarii expectarent
quatuor menses, antequam causae cognitionem inciperent; si forte
interim Generalis Coelestinorum intra illud tempus veniret in Gal-
25 liam, oportebit, ut Paternitas Vestra significet Cardinalibus il-
lis, et aliis quibuscumque ut a causae cognitione abstineant etiam
post illos quatuor menses, quia nunc primum cognovimus admittendum
esse Generalem ad visitationem, et causae cognitionem. Valeat Pater-
nitas Vestra mei memor in Sanctis precibus suis. Romae die 5 Aprilis
30 1618.